



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

VIII. Quia est Canticum Cherubim ac Seraphim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Quòd verò statim ab infantia Virginem Angeli, ut Dominam servi, famulatu fuerint profecuti *Idem orat. 1. de Nativ. B. V. testatur*: dum sic illam alloquitur infantem. O sanctissima Filia, quæ Materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undique cingeris. Quod ipsum *Greg. Nicomed. Orat. de oblat. Deip.* Sentit & extendit. Oportebat non unum solum ei servire Angelum, sed decies mille millia eam stipare. Quod explicatur à *S. Hieron. lib. de Nativit. B. V. qui est tom. 9.* Quotidie ab Angelis frequentabatur, quotidie Divina visitatione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. *Fastus est hoc ipsum in 3. p. Chronic. S. Francisc. lib. 6. cap. 30. Angelus Gabriel qui hæc dixit B. Amedæo.* Septem Angeli sumus qui Genitricem Dei nostri veneramus, alios omnes generis nostri præcedimus.

Hi septem ex Angelis altioribus specialiter serviunt, nam etiam omnes alij serviunt juxta *S. Bonav. in Cantic. Te Deum laud.* Tibi Virgo omnes Angeli & Archangeli, tibi Throni & Principatus fideliter deserviunt, tibi omnes Potestates, & omnes Virtutes Cœli Cœlorum & universæ Dominationes obediunt, tibi Cherubim & Seraphim assistant, tibi omnis Angelica creatura ineffabili voce proclamant, sancta, sancta, sancta Maria Dei Genitrix Mater & Virgo. *S. Athanas. in Evang. Deip.* Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ, & hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi, quæ & in Cœlis benediceris, & in terris Beata prædicaris. *Et rursus.* Ad te clamamus recordare nostri SS. Virgo, quæ etiam à partu Virgo permansisti: Ave gratiâ plena Dominus tecum, Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ. Benedicte tu es in mulieribus, & benedictus Fructus ventris tui; Intercede ergo & Domina & Regina, & Mater Dei pro nobis.

Quàm profunda verò sit hæc Cælestium Spirituum veneratio, indicat nobis omnium nomine ille qui *B. Brigitta sermonem dictavit, in quo cap. 4. hæc habet sermone in S. Virginem directo*: Angeli initio mundi de hoc magis exultabant, quòd te (Deus) creare volebat, quàm ex eo, quòd ipsos creaverat, & sic tu ò Virgo Sanctissima, Angelis mox ut creati fuerunt, gaudium fuisti, quæ ipsi Deo sine principio summa delectatio exitisti, & sic verè Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo de te, ò Virgo Creaturarum omnium dignissima, antequam creareris intimè congaudebant. *Et cap. 20.* Angeli ita obedientes natæ Virgini effecti sunt, quòd omnes inferni pænas libentiùs sustinerent, quàm aliquibus suis præceptis in aliquo contradicerent.

#### 8. Quia est Canticum Cherubim ac Seraphim.

Verba sunt *S. Ephrem. de laud. Virg.* Canticum est Cherubim ac Seraphim. *Virgo est hymnodia Angelorum, hanc hymnodiam priusquam nata fuisset, inceperunt.* *Teste S. Vincentio Ferrario serm. de Concept. Sancti Angeli conceperunt Virginem in suis mentibus per quam eorum ruina repararetur, & inceperunt tripudians,*

& facere festum magnum. Postquam verò nata est inquit *Richard. lib. 2. de laud. Virg. cap. 2.* Angeli nomen desiderabant nominari, ut non intra terræ terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in cœlis, & de facto quantoperè hoc nomine delectentur, ipsamet Virgo apud *S. Brigittam lib. 1. cap. 9. exposuit.* Audi quantum Filius meus nomen meum honoravit, Angeli boni audito hoc nomine, iustis magis propinquant, & de eorum lætantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati. Sed jam ad cantum veniamus. Quid tamen canant Virgini aut quomodo Virginem *B. Henricus Suso* frequenter auroræ tempore ab illis audivit decantari. Stella Maria maris hodie processit ad ortum &c. *Navarrus Abbas Monasterij Romana Vallis in manuali de Orat. cap. 18. n. 188.* Fama est sapidam illam orandi formam: *Salve Regina* olim in nostra Romana valle sabbatis solitam ab Angelis cantari, quam ab eo tempore in hoc præsens Angelorum fontem appellant; quam *S. Bern.* audivit ab iisdem alibi cantari. *Vincent. Belvac. in spec. hist. lib. 6. cap. 65.* refert de quodam Eremita qui audivit Angelicum melos, miratusquè quid sibi vellent accepit responsum, Virgo perpetua quæ Deum genuit, hac nocte nata fuit, quod etsi ab hominibus ignoretur, ab Angelis tamen celebre habetur.

Sed quid cecinerint non expressum arbitror. Quod Ave Maria &c. Quia scripsit *S. Athanas. Orat. de laud. Virg.* tres Angelorum Hierarchias, non sine magna & sonora voce Verba Gabrielis identidem decantare. Idem sensit. *S. Ephrem. de laud. Virg.* Et nos ut monet *S. Joan. Damasc. orat. de dormit. Virginis.* Cum Gabriele antesignano exclamemus: Ave gratiâ plena Dominus tecum. Et orat. de Annunt. Virg. Verè piarum labra Dei Genitrici, Angeli vocem sinè ulla intermissione modulantes cum exultatione clament, Ave gratia plena Dominus tecum. *Goffridus Vindocinensis serm. in omni fest. B. M.* Hæc est cui serviunt Angeli, Archangeli famulantur, omnis etiam militiæ Cœlestis exercitus hanc Virginem laudat, & veneratur. *S. Bernardin. tom. 3. ser. 3. de glo. nom. M. artic. 3. c. 3.* Omnes Angelici Spiritus sunt hujus gloriose Virginis Ministri, atque servi. Quomodo enim non essent servi illius, per quam eorum quantum ad integritatem, reparatio facta est, per cuius Filium eorundè facta est purgatio, illuminatio & consummatio, id est gloriæ consummata perfectio? Benè igitur Dominica dici potest, atque meritò de illa omnes Cœlestes spiritus confiteri & dicere illud *4. Reg. 10. Servi tui sumus, quæcumq; jusseris faciemus.* *S. Bonav. in spec. cap. 3.* illam cum *Esther* quæ innixa super famulam unam, ab altera comitatum habuit sic confert.

Per *Esther* intellige Reginam Mariam, duæ famulæ, quarum Regina est Maria, sunt Angelica & humana natura. *Albertus M. super missus cap. 203.* Dominatur Maria volatibus cæli, id est elevatis Angelis, & volantibus in Cælum, & ad altitudinem contemplationis Dei. *B. Amadeo raptu 8. hæc dixit S. Gabriel.* Maria assidue erat stipata multitudinè Angelorum, quia à principio iussit Deus nobis Angelis, ut eam pro nostra

Regina teneremus: Nullus ex nobis tam potens & magnus fuit, qui non cuperet eam videre quamobrem alternatim ad eam veniebamus, & ab ea recedebamus admirantes tantam gratiam.

Pulcherrimè hanc rem exprimit *Jacobus Archiep. Junuensis in suo Mariali serm. 6. cum ait: Cælum circa stellam maris se vertit, sic tota curia Cælestis ad B. Virginem attendit, gyrum cæli circumvit,* ait ipsa *Eccles: 24. Tunc quippe gyrum cæli circumvit,* quando totam cælestem curiam ad se attendere facit.

## CAPVT IV. Ecclesia Beatam dicit Sanctam Virginem.

r. Quia Virgo est Mater Ecclesiæ.

**L**uc: 2. *Peperit Filium suum primogenitum,* at ubi alij? nomen hoc utique alios videtur respicere? Mater nostra Maria, quæ licet non nisi Filium unicum carnalem genuerit, in eo tamen spiritualis Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus est Christus. *Richard. à S. Latur. respondet. lib. 2. p. 1. Et addit: Sicut mater Eva est dicta omnium viventium vita naturæ, Gen. 3. sic Maria Mater omnium viventium vita gratiæ. Ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram, quæ non nisi unicum carnaliter peperit Abraham; tamen Mater dicta est Populi Israelitici. Undè Isai: 51. dicitur Judæis: Attendite ad Abraham Patrem vestrum Et ad Saram quæ peperit vos.*

In idem recidit quod dixit *Guericus Abbas serm. 2. de Nativit. O Mater incorrupta, Virgo fecunda, Filius qui datus est tibi, filios dedit tibi. Idem serm. 1. de Assumpt. ad illud Galat. 4. Filii mei quos iterum parturio. Si servus Christi filios suos iterum, atque iterum parturit, curâ atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quantò magis ipsa Mater Christi?*

Explicat hoc *Albert. Mag. super missus. Omnium Sanctorum quos per spiritualem gratiam mediante Virgine regeneravit Deus, dicitur Mater. Imò etiam Angelorum dicitur Mater; quia ipsa mediante ipsorum restaurata est ruina.*

Hinc *Moyse olim supremo Duci Ecclesiæ collata est inauguratio prope *Rabbon* ardentem incombustum Virginitatis Mariæ symbolū. *Aaroni summus Pontificatus et Virga florente prodijt, quæ ipsa Virginitatis istius erat imago: Virgo enim erat futura de ra licc Jesse.**

Hinc